



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Guilielmus Abbas. Austeritas vitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. GUILIELMUS ABBAS.

Austeritas vita.

Deus, qui per B. GUILIELMUM voluisti, eremiticum Benedictinæ Regulæ institutum, utrique sexui restaurari; da, ut meritis ejus, rigor iste servetur, & nos quoque talibus exemplis proficiamus ad virtutem.

Ora pro Congregationibus Eremiticis,

✠

GVILIELMVS, à quo initium habuit, nunc quoq; in regno Neapolitano florens, Montis-virginis Eremiticum institutum, natus Vercellis erat an. 1085; & 15 æt. suę peregrinus abiit Compostellam. Inde transiurus Hierosolymam, divinitus monitus in Italia subsistere, cœpit Montem prædictum incolere solitarius; deinde & monasterium ibidem, collectis ad se sociis, condidit an. 1123. Postea alio alioq; digressus, aliquoties mutavit anachoreseos suę locum, Socio aliquamdiu usus S. Joanne, Pulfanensis Ordinis, nunc extincti, futuro fundatore. Ab hoc digressus, ad alia plura monasteria fundanda se convertit, utrique sexui servitura, sub mira vitę austeritate. In Siciliam usq; ea causa progresso, & Rogerii Regis beneficentia subnixo, miracula plurima nomen excellentis sanctitatis pepererunt; donec in Guletana prope Nuscum Abbatia, diem clausit extremum, anno 1142. Ibi Agnes Abbatissa, paucis post annis capellam erigens, corpus sub altari collocavit; & Vitam scripsit Joannes discipulus ejus.

Ego autem, cum mihi molesti essent, induēbar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam. Psal. 34.